

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento
Selectæ**

Pexenfelder, Michael

[S.I.], 1711

LXXXIII. Joram[us] losaphati, Ochozias, &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

NARRATIO LXXXIII.

JORAMUS JOSAPHA-
TI, OCHOZIAS SEU JOA-
CHAZ' JORAMI FILIUS, REGES JUDÆ
IMPROBI.

4. Reg. cap. 8. 9. 2. Paralip. 21. 22. Ab
 Anno M. 3146. ante Ch. 907. ad annum
 M. 3150. ante Ch. 903.

Quid mulier pellax in animum juvenilem pos-
 sit, cùm alijs privatarum, publicarumque
 cladi exemplis docuimus; tum luculen-
 tum ejus rei documentum in *Joram* Josaphati filio,
 natu maximo, habemus. Nihil omisit parens opti-
 mus, quod ad institutionem successoris sui attine-
 ret. Hinc frequens ei monitor esse, DEO ut vivo
 & vero, inflexibili constantia adhæreret, detestare-
 tur idola, & undique eliminaret; hinc enixè com-
 mendare amorem in fratres, charitatem in subditos;
 ostendere deteriorum exempla, tot funestis casibus
 implexa, proponere bonorum palmas, & decora
 per ævum viætura. Sed quidquid demum moneret
 & instrueret, id omne in irritum cessit, dum illi in-
 cautus, & amicitiae blanditijs evictus, uxorem sociat
Athalicam Achabi filiam, mulierem ex asse nequam;
 de qua in Josaphato meminimns.

Collegam regni trienniō filium habuit Josapha-
 tus: Hoc vivis exemptō, *Joram* solus imperiō po-
 titus, ipsō statim dominatūs initiō in scelera, quæ re-

Verentia, metusque parentis texerat, erupit. Nec jam Rex, sed tyrannus, crudelitatis tirocinium fecit à cæde fratrum; quibus nomina *Azarias, Iacob, Zacharias, Azarias, Michaël, Saphatias*; quos opibus suætos, regiâ fortunâ dignos, pater reliquerat. Verum quia meticulosa & suspicax ambitio, Joramus diadematis hæres, ut sine æmulis regnaret, parricidales manus fraterna cæde cruentavit. Sicut enim tyrannis sanguinem, quem timet. Sed nihilo securiorum crudelitatem reddidit innocentum interficio; fratrum cruore ebrius carnifex, ut se vindicta metu liberaret, pari immanitate sustulit è medio nonnullos virorum Principum, quorum integritas & constantia ambitioni, & superstitionibus suis obstituta videbatur. Adeò tyrannis consuetum est, quidquid eminet, suspicere: quidquid suspiciunt, odisse, & quos oderunt, extinctos velle. Nec tam mirum est, si tam sævus fuerit in mortales, qui DEUM immortalem sacrilegijs irritare non desit. Excelsa, quæ pater diruerat, ædificavit; idola, quæ contrivit, erexit; & prurientes in cultus dæmonum, ipsâ scelerum licentiâ incitavit.

Non semper felix improbitas: Sic enim DEUS decrevit, ut, qui regum Iudæ furiosissimus habetur, esset etiam infelicissimus. Concussus statim regni status, ex una parte, *Lobnâ*, urbe Iudaicæ regni potentissima, deficiente; ex altera rebellantibus Idumæis. Intus tamē, furenti Principi nihil resistere audebat; adeò terror liberas voces opprefxit. Venit grandis & minax ab Elia epistola [quod supra indicavimus] quæ infamen ejus vitam argueret, clades horrendas, & feralem morbum denuntiaret.

Non

riare
norum
undā
dirip
mife
toru
nesci
nus
bus
obst
lerib
vive
bien
fed r.
tand
Etav
dita
cit ei
ficer
bus
niur
üm
R
juve
ubi
mat
mo
infe
mu
tris
ver

Non vanus hic nuntius; nam DEUS, ut sacra historia refert, *suscitavit impium spiritum Arabum & Philistinorum*, qui statim ingentibus copijs in Iudæam exundarunt; eaque direc^e vastatâ, gazas opulentissimas diripuere; filiis quoque, & uxoribus in servitutem, miserandum in modum asportatis; solô Ochoziâ, natorum minimô, eiisque matre impia, *Athalia*, nescio quo fatô, cladi subtractis. Ita barbara manus cæde filiorum Regis, fratum regiorum Manus parentavit; justô DEI judiciô, sed nihil apud obstinatum profecturô. *Ioramus* enim, suis ut sceleribus immoreretur, suisque funeribus superstes viveret, alvi doloribus cruciatus, & lenta tabe per biennium confectus, ita ut vitalia quoque mœrens, sed non pœnitens, egereret, sottem spiritum ægre tandem emisit, anno sive regni, sive tyrannidis octavô; quadraginta haud amplius annos natus. Ad dicta cineribus infamia, de qua Scriptura S. *Et non fuit ei populus secundum morem combustionis exequias, sicut fecerat majoribus ejus.* 2. Paralip. 21. Grande Regibus monumentum, ut Dominatorem rerum omnium supplices agnoscant, & à proximorum, civiumque cædibus, religiosius abstineant.

Reliquit filium Ochoziam, viginti duorum annos juvenem, haud sanè meliorem se. Nam & ipse, ubi regnantium attigit gubernacula, statim nefaria matre Athalia, & ab impuris, de ipsius Achabi Domino consiliarijs circumfessus, omnia impiè, stolidè, infeliciter gessit. Prima hominis hujus clades [ut multorum aliorum] à DEO defecisse, secutum patris exempla, matrisque blanditas preces. Inde aversi ab eo piorum, fortiumque animi, avi illius Io-

saphati pietatem reflorescere cupientes in nepote,
Ex prava superstitione turbida mens , & in admini-
strandis rebus præceps. Cùm expediret regni pri-
mordia , paci & saluti publicæ consecrari, Martem
suscepit non suum , sed *Ioram*, qui tum Achabi fili-
us, & hæres Israëliticum regnum obtinebat. Pug-
nârunt ambo adversus *Hazaëlem* , Syriæ Regem in-
feliciter: nam Ioramus multis vulneribus acceptis,
coactus est Izraëlem , curando corpori secedere, di-
cedentem è castris consequitur *Ochozias*, funesta im-
plexus amicitiâ.

Sævus interim utrique ludus apparatur, nam *It-
hu* inter Iorami duces, animi ferocis, & instar flagel-
li , ad evertendam Achabi Domum, adhibitus, Io-
ramum sagittâ transverberat ; Ochoziam rei atro-
citate commotum, & fugientem, in curru per suos
confici jubet. Reportatur in patrios lares cruen-
tum cadaver , ipsis etiam , qui oderunt, miseran-
dum. Ad hunc exitum post unius anni regnum,
familiaritas Principis impij & pessima consilia, misé-
rum juvenem adegêre Ita nimirum par filium de-
cebat poena, in vitijs à Patre non degenerem.

NARRATIO LXXXIV. ATHALIA SAN- GINARIA IVDAICI REGNI FURIA.

4. Reg Cap. II. 2. Paralip. cap. 22. & 23.
Ab Anno Mundi 3151. Ante Ch. 922, ad ann. M.
3157. ante Ch. 896.

Qua